

Veteres, quartò, Lauro hanc quoq; adscri-  
pserunt proprietatem, quod hæc inter cæteras  
arbores omnes, Sola, & Vnica sit, quæ non per-  
cutiatur ictu fulminis, juxta hunc Lactantij  
Versiculum.

Fulgura non metuo, pellunt ea germina Lauri.

Eag; de causa coortâ aliqua violentâ  
tempestate, caput Lauri folijs Coronarunt,  
Coronatum ab omnibus fulminum ictibus sal-  
vum & incolume esse crediderunt; quorum  
in numero Imperatorem Tyberium fuisse  
Suetonius in eius vita testatur, dum refert,  
Eum tonante cælo contrâ fulminum ictus, Ca-  
put Lauro Coronare solitum fuisse. Vndè ob  
hanc proprietatem per Laurum Hieroglyphi-  
ci Pietatem, & Integritatem intellexerunt,  
juxta illud Ovidij.

Integritas, virtusq; suo munime tuta,

Non patet adversæ morsibus invidiæ.

*Et ut Neotericus quidam canit.*

Sic illæsa malis constat pulcherrima Virtus,

Laurus, ut est diris integra fulminibus.

Et hoc nomine apud Veteres ij, quibus vel in  
militia armata, vel togata, vel in Republ:cer-  
tum quoddam administrandi officium com-  
missum concreditumq; fuit, Corona Laureâ  
donati sunt, qua sic Coronatos admonere vo-  
luerunt, ut in omnibus & singulis negotiorum

F 2 suo-